


4/98

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMXCVIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 21

FASC. 125

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:  
Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam  
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
INTERNET: [http://www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausge- gegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:  
Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:


RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
INTERNET: [http://www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Certe animadvertistis nobis in libello 3/98 RUMORIS VARII componendo errorem subrepsisse: Confusione paginarum ordinis enim paginae 59 et 62 permutatae sunt: Pagina 59 ergo recte numero 62 affici debuit et vice versa. Cum narrationes Emanuelis Bernard recto ordine legere vultis, oportet vos legentes post paginam 58 sequentes paginas in hoc ordine percurrere: 58 – 62 – 60 – 61 – 59.



Veniam petimus et speramus vos nobis errorem ignoscere et, nisi iam ordinem rectum ipsi invenistis, nunc illas tres narrationes Emanuelis nostri hac confusione affectas (sunt enim 'De secessu aestivo ad Pontum Euxinum peracto narratur' et 'In memoriam Guarneri amici' et 'De mundo nos circumdante nobis defendendo atque tuendo') in ordine legere et iis gaudere posse. Autumnus est anni tempus, quo uvae carpuntur preloque premuntur ad vinum conficiendum. Aptum igitur illud carmen

pulcherrimum ad tes-tam vinum extraor-dinarium continentem Q. Horatii Flacci poetae mihi videtur, quo varios effectus vini in hominum animos describit et beneficia illius doni Dionysi laudat (III, XXI):

O nata mecum consule Manlio,  
seu tu querellas sive geris iocos  
seu rixam et insanos amores  
seu facilem, pia testa, somnum,

quocumque lectum nomine Massicum  
servas, moveri digna bono die,  
descende Corvino iubente  
promere languidiora vina.


Non ille, quamquam Socraticis madet  
sermonibus, te neglegit horridus:  
narratur et prisci Catonis  
saepe mero caluisse virtus.

Tu lene tormentum ingenio admoves  
plerumque duro, tu sapientium  
curas et arcanum iocoso  
consilium retegis Lyaeo,

tu spem reducis mentibus anxiis  
virisque et addis cornua pauperi  
post te neque iratos trementi  
regum apices neque militum arma.

Te Liber et si laeta aderit Venus  
segnesque nodum solvere Gratiae  
vivaeque producent lucernae,  
dum rediens fugat astra Phoebus.

Praeterea petimus, cari legentes, ne obliti sitis argumenti nostri **'De arte musica'**, quod in libello priore proposuimus. Nonnulli iam scripta nobis miserunt, sed multo pluribus nobis opus sunt, ut libellum revera varium componere possimus.

Valete!  
  
Daniel Weissmann

## De nova inscriptione cursuali Societatis Latinae Turicensis et Rumoris Varii

Vos, amicas et amicos nostros, rogamus, ut ex Kalendis Iulii MCMXCVIII omnia scripta ad RVMOREM VARIVM pertinentia, sive epistolas sive symbolas ad inscriptionem cursualem sequentem mittatis:

**RVMOR VARIVS**  
c/o aeschlimann publicity  
Rosenweg 7  
CH - 8353 Elgg / ZH  
(Schweiz)

Symbolae ad publicandum in RVMORE VARIO etiam ad Danielelem Weissmann mitti possunt. Cuius inscriptio, quam iamdudum novistis, est haec:

Daniel Weissmann  
Redaktion RVMOR VARIVS  
Tellstrasse 30  
CH - 3014 Bern  
(Schweiz)

Gratias vobis agimus.

Dabamus Elgg in vico mense Iulio anno MCMXCVIII°.

SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
RVMORIS VARIi domus editoria

## Proverbia Hispanica

*Libre es la afición y no conoce señor.*

Liberi sunt affectus et amor neque dominum noverunt.

\*

*Amor trompero, cuantas veo tantas quiero.*

Amor fallax: quantas video, tantas amo.

\*

*Donde hay celos, hay amor; donde hay viejos hay dolor.*

Ubi sunt rivalitates, est amor; ubi sunt veteres, est dolor.

\*

*La respuesta mansa, la ira quebranta.*

Responsum lenit, ira frangit.

\*

*Antes de casar, tener casas en que morar, y tierras en que labrar y viñas que podar.*

Antequam uxorem ducis, sint tibi casa, in qua habites, et agri, quos colas, et vites, quas putes.

\*\*\*\*\*

*No hay cosa tan secreta que tarde o temprano no sea descubierta.*

Non sunt res tam secretae, ut non tardius aut prius detegantur.

\*

*Entiende primero y habla postrero.*

Intellege primum et loquere postremum.

\*

*A cualquier dolencia es remedio la paciencia.*

Cuilibet malo remedium est patientia.

\*

*Todos los hombres lo saben todo, mas no uno solo.*

Omnes homines omnia sciunt, neque vero unus solus omnia scit.

\*

*Habla poco, escucha asaz y no errarás.*

Loquere pauca, audi satis et non errabis.

\*

*A quien no tiene nada, nada le espanta.*

Eum, cui nihil est, nihil terret.

\*\*\*\*\*

*Un alma sola ni canta ni llora.*

Anima sola neque cantat neque flet.

\*

*No hay peor sordo que el que no quiere oír.*

Non est peior surdus quam ille, qui audire non vult.

\*

*El que ley establece, guardarla debe.*

Ille, qui legem constituit, eam observare debet.

\*

*Amar y saber, todo junto no puede ser.*

Amare et sapere, haec omnia una fieri non possunt.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

## Litterae legentium

Ecce adnotationes duorum amicorum e Francogallia nobis missae, quibus de duobus erroribus nos certiores fecerunt:

Rumoris Varii editoribus s.d.p. P. Basilius Hypeau

Mirabar, quod iamdiu nullus Rumor Varius ad nos pervenisset. Quae admiratio in laetitiam mutata est, cum heri duo ex vestris libellis ad me allati sunt. Quos magna cum delectatione legi.

Obstipui tamen, cum vidi vos Gregorium (pagina 45) ex Turonensi Tolosanum fecisse. Gregorius enim ille, quem vos recte 'Gregoire de Tours' nominatis, non Tolosanus sed **Turonensis** episcopus erat.

Valete!

**P. Basilius Hypeau**

apud Jocas (Jouques), Francogallia, die 26 mensis Iunii 1998

\*\*\*

**Gérard Bouvet** ab urbe 'Cannes La Bocca' haec nobis scripsit:

"Praeterea, ut mihi videtur, error irrepsit in pagina 31 fasciculi 2/98: 'Ludovicus rex XXIII<sup>us</sup> a populo fugatus et Philippo substitutus est.....' Revera, Ludovicus (Louis) XXIII mortuus est anno 1824°. Ille rex fugatus est **Carolus (Charles) X** et eius successor Ludovicus Philippus I (Louis Philippe I)."

Cannes La Bocca, Francogallia, Kalendis Iuliis 1998

Maximas gratias agimus illis lectoribus pro suis epistulis!

## De caprarum transitu

Vesperi Don Quichotte et Sancho Panza iter facientes clamorem singularem audiunt. Eques fortissimus statim ad pugnandum proficisci vult, sed Sancho Panza, ut eum retineat, fabulam narrare incipit:

"Pastor aliqui cum trecentis capris ad fluvium quendam venit. Navigium autem ad fluvium transeundum deest. Tum pastor piscatorem videt, cui navicula tam parva est, ut modo unam capram continere possit. Quamquam res difficilis est, piscator ad capras ex ordine transportandas paratus est. Itaque capram quandam in naviculam imponit, tum secundam, deinde tertiam, deinde quartam et...." - "Amabo", eques inquit, "ut fabulam finias. Admitte, ut omnes caprae in naviculam impositae sint." - "Non fieri potest", comes inquit, "nam piscator multum temporis in capris transportandis consumit. Dic mihi, quaeso, numerum caprarum, quae iam fluvium transierunt." - "Non possum, sed tu fabulam concludere potes. Numerus caprarum nullius momenti est." - "Erras, domine! Quia tu numeri caprarum immemor es, ego fabulae conclusionis immemor sum."

(Secundum poetam Hispanicum nomine Cervantes).

Barbara Maier

## De fabulosis animalibus

Chimaeram belluam esse tradunt, ore leonem, postremo draconem, medio capellam, capite vomentem ignem, quam Bellerophon dicitur peremisse. Et haec quidam poetica figmenta esse asserentes, exponunt ad litteram, Chimaeram montem esse Ciliciae, qui locis quibusdam leones nutrit et capras; quibusdam ardebat, quibusdam plenus erat serpentibus: Hunc Bellerophon habitabilem fecit, unde fingitur Chimaeram occidisse. In terra Aegypti nascuntur bestiae celeres, adinstar equorum. Pedes leoneum habent, colla equina longitudinem pedum tricenorum, vastitatem pedum duodecim, orificio amplo.

Seleucia Babyloniam pergentibus subiacet regio in Sidonia, in qua serpentes nascuntur immensi atque horrendi, habentes bina capita, quorum oculi lucent velut lucerna. Seleucia a parte dextra euntibus ad mare rubrum sunt vicinales divisiones: Ibi nascuntur equinocephali, iugas equorum habentes, validissimi, immensis dentibus flammam spirantes. In fulvio Gargaro nascuntur formicae Myrmidones magnitudine catulorum, habentes pedes senos, et centrias, id est, medias partes quasi locustae


marinae: Dentes canum habent, colore nigrae aurumque custodiunt, quod proferunt de subterraneis ad lucem.

Sunt silvestres bestiae, qui Fauni et Satyri dicuntur, de quibus in vita beati Pauli, primi eremita, ita narrat Hieronymus: Cogitanti Antonio, nullum ante se monachorum in eremo consedis, nocte quiescenti revelatum est, esse alium interius multo meliorem, ad quem visendum properare deberet, in quo erumpente luce venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans coepit ire velle, quo nesciebat. Et cum iam media dies, ex quo desuper sole fervebat, conspicatur hominem equo mixtum, cui opinio poetarum Hippocentaurum vocabulum indidit, quo viso, salutaris impressione signi armat frontem. "Heus tu", inquit, "quam in parte servus Dei hic habitat?" At ille barbarum nescio quid frendens et frangens, potius verba, quam loquens inter horrentia sedis ora blandum quaesivit alloquium, et dextrae manus protensione cubitum indicat, ac sic per patentes campos volucris transmissus fuga ex oculis mutatis evanuit. Stupens itaque Antonius, et de hoc, quod viderat, secum volvens ulterius progrediebatur, nec mora, inter saxosum convallem aut grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus exasperata, cui extrema pars corporis in caprarum pedes deficiebat. Ex hoc Antonius spectaculo scutum et lorica fidei bonus praeliator arripuit; nihilominus memoratum animal palmarum fructum ad viaticum quasi pacis obsides offerebat, quo cognito, gressum pressit Antonius, et quisnam esset, interrogans hoc ab eo responsum accepit: "Mortalis ego sum et unus ex accolis eremi, quos vario errore delusa gentilitas Faunos Satyrosque et incubos colit."

Poetae quoque versus panxerunt de sirenibus, quae caput femineum, capillos lucidos et proceros habent, ubera muliebria, omniaque femineae formae membra usque ad umbilicum, cetera in piscem finiuntur.

Res tamen non desinit in pisce, si saltem bestiae nomen hoc in quadrato scriptum, quod solum in serie infra enumerata non invenitur, reperis sic definitum: Habet geminam tauri iuvenique figuram. Vocabula inscripta, quae omnia ad pisces attinent, possunt legi a vertice (deorsum aut sursum), in transversa (sinistrorsum aut dextrorsum) vel oblique (deorsum aut sursum). Littera una, cum vocabula mutue immissa sint, ad vocabula complura adhiberi potest ad cetera verba, non ad nomen arcanum.

<p><b>A</b> APHYE APVA AQVILA ARINGI ASELLO AVRATAE</p> <p><b>E</b> ECHENEIS ELACATA EPODES ESOX</p> <p><b>H</b> HEPAR HIPPI HIRVND HYAENA</p> <p><b>O</b> OPHIDION</p> <p><b>P</b> PASSER PELAMIS PERCA</p> <p><b>R</b> RAIA REMORAE RHOMBVS</p> <p><b>T</b> TINCA TRVCTO</p>	<p><b>B</b> BABVS BATIS BATRACHI BELONE BLENDI BOX</p> <p><b>F</b> FLVTA (2)</p> <p><b>I</b> IVLIS</p> <p><b>L</b> LVCIVS LVPO</p> <p><b>V</b> VERMIS VMBRA VMBRIS</p>	<p><b>C</b> CARPA CEPHALO CERCYRO CETI (2) CHANNE CHROMIS COLIAS CONGER CORACINO CORDYLA CYBIVM CYPRINI</p> <p><b>L</b> LVCIVS LVPO</p> <p><b>Z</b> ZAEI</p>	<p><b>D</b> DENTEX DRACO DRINO</p> <p><b>G</b> GALEOS GARO GERRE GLADII GLAVCI GOBIVM</p> <p><b>M</b> MELANVRI MVLLI MVSTELA MYXO</p> <p><b>S</b> SALMO SARDINA SCOMBER SILVRVS SOLEA SPARI SQVALVS SVS SYNOVVS</p>
--	--	--	---



S	M	T	I	N	C	A	G	E	R	R	E	G	A	P	H	Y	E	A	
C	V	O	I	A	N	I	A	V	R	A	T	A	E	N	G	I	T		
O	M	L	A	S	T	I	S	I	R	B	M	V	O	L	L	C	S	R	
M	E	F	A	R	A	D	R	S	L	O	V	E	L	A	C	A	T	A	
B	O	X	A	V	R	R	A	O	R	C	L	E	V	M	B	R	A	C	
E	A	L	I	V	Q	A	P	L	E	A	L	O	I	E	P	B	H		
R	H	O	M	B	V	S	E	E	G	E	I	M	C	S	P	A	R	I	
R	E	S	S	A	P	C	H	A	N	N	E	Y	O	A	V	P	A	E	
M	V	I	B	Y	C	S	E	D	O	R	E	X	R	Z	A	E	I	C	
C	Y	P	R	I	N	I	D	C	V	A	O	D	N	V	R	I	H		
X	T	T	S	I	M	O	R	H	C	E	R	C	Y	R	O	C	Y	E	
E	R	F	L	V	T	A	D	O	A	R	O	L	L	E	S	A	S	N	
T	V	S	V	I	C	V	L	V	N	M	M	V	A	C	E	T	I	E	
N	C	V	G	O	B	I	V	M	S	I	E	P	R	N	E	S	L	I	
E	T	C	O	R	A	C	I	N	O	S	R	O	A	V	N	S	T	V	S
D	O	M	V	S	T	E	L	A	N	O	I	D	I	H	P	O	I	S	

Stella GITTA

## Carmen et error (1)

O pater Aeneas, Afros cur sustinuisti  
decessu fines linquere praecipiti?  
Nonne tibi satius Tyriae concumbere visum est  
reginae regnum pollicitae thalami?  
Tu melior quidem eras, Mars bellipotens, in amando,  
audacter Vestae numine posthabito (2):  
Conveniens specimen per te poteramus habere,  
ni mentes stolidae sollicitaeque forent.  
Sanguine plebeio fertur cecidisse tyrannus:  
Appi, cur tibi dant haec eadem vitio (3),  
nunc quibus augustum perhibent flagrare novellum  
rectorem tantis magnificum meritis?  
Virginibus deflorandis (4) plerumque vacivum  
impedens tempus, sordibus quas aliis  
attribuit culpae, semet sus iste volutat,  
exultans amens improbitate sua.  
Nec Catilina malam famam meruisse videtur,  
qui non femineum reppulit auxilium (5),  
scilicet ut scelerum sociae interdum relevarent  
coniuratorum pectora praecalida.  
Calliditate tua, Clodi, penetrare valebas  
femineum in templum (6) morigerans animo,  
quo plus illecebrae vetitus tibi suppeditaret  
ad ritus aditus sacrilegumque nefas.  
Aegyptus potior sedes tibi visa, triumvir  
Marce, est quam fastu Roma superba suo:  
Otia tum iucunda tibi consumere Cypris  
concessit rerum ponderis immemori,  
mutata cum veste (7) pererrabatis aventes  
misceri vulgo laetitiaque frui.  
Tunc erat, heu, flendum, tunc pectora percutienda (8),  
tunc omnes Veneris spes cecidere simul,  
femina cum iacuit serpentis abacta veneno,  
funera dilecti mox imitata viri.  
Obscuris tenebris tristis compressa iuventus

grata Dionaeae munera dedidicit;  
undique nunc oculos taetra caligine tecti,  
fortunas frustra praeteritas querimur.

- 1) Huius carminis vitio, quod Sulmonensem poetam pepigisse finximus, factum esse ut Ovidius Octaviano iubente Roma exturbaretur imaginati sumus.
- 2) Ad Rheae Silviae stuprum hic spectamus.
- 3) Vis Verginiae allata hisce versibus significatur.
- 4) cfr. Suet. Aug. 71
- 5) De Sempronia aliisque eiusdem generis mulieribus videlicet loquimur: cfr. Sall. Catil. 24-25.
- 6) Dum sacra Bonae Deae, maribus interdicta, celebrantur, nefandum istud perpetratum est sacrilegium.
- 7) De Antonio fit mentio in Cleopatrae amatoriam potestatem redacto: cfr. Plutarchus, Vita Antonii 29.
- 8) In contrarium atque in ridiculum hoc loco, ut patet, vertitur illud Horatii 'Nunc est bibendum' (carm. 1,37).

Orestes Carbonero

## Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. non multa
2. amor vel affectus
3. vestitus pedis (Dat.sg.)
4. diuturno
5. poeta Methymnaeus, qui a delphino e piratis servatus esse dicitur

Daniel Weissmann

## Epigramma Emanuel(i) Bernard dicatum

Quae sapido lepidoque stilo narrare solebas,  
lectorum pergent laetificare animos.  
Grates tam meritas a nobis accipe cunctis,  
qui nugas istas legimus assidui.

Orestes Carbonero

## Lucilli epigrammata in Latinum sermonem libere conversa

A.P. XI, 76

Narcissi exemplum ne sis imitatus, amice,  
neu fontem vultus quaesieris speculum.  
Nam si conspicias istam faciem metuendam,  
magna voce ululans emoriere statim.

A.P. XI, 80

Rivales pugili defuncto iusta libenter  
solverunt merito: vulnera nulla dedit.

A.P. XI, 100

Tam levis est Gaius, nans ut sibi pondera filo  
exaptet pedibus, ne mare sit tumulus.

A.P. XI, 179

Si pariter plantis ac palmis tu celer esses,  
aligeri nomen Mercurio eriperes.

A.P. XI, 276

Tam piger est Marcus, falsum ut crimen sibi fingat:  
esse aequo gravius carcere abire putat.

Orestes Carbonero

## Inscriptiones sepulcrorum

Legite, quaeso, sepulcra puerorum puellarumque!

I.

Mi fili, bene quiescas. Mater tua rogat te,  
ut se ad te recipias.

II. (Discipulus bonus dicit hoc:)

Ter denos bis singulos peregi annos, ingenio  
non humili, quo gratus apud magistros  
fui, qui dixi, scripsi, pinxi bene.

III. (Puer naufragio periit)

Dis Manibus M. Allius Firminus Ursino filio, C. Septimi  
Carpore delicato, infelicissimo puero, naufragio obito  
annorum XI, cuius membra consumit maris (1) per se.

IV. (Puellula mortua est)

Telephoris et maritus eius parentes  
filiae dulcissimae.

Queri necesse est de puellula dulci.

Ne tu fuisses (2), si - futura tam grata -  
bene reverti, unde nobis edita,  
nativum (3) esset et parentibus luctu.

Semissem (4) anni vixit et dies octo:

Rosa simul florivit (5) et statim periit.

1) maris = mare

2) ne fuisses = ne vixisses

3) nativum = natura insitum

4) semissem = semi

5) florire = florere

Barbara Maier



## De iubilaeis hoc anno celebrandis

(Pars secunda, II)

### Quomodo constitutio Helvetica introducta sit, II

Primus autem impetus non Iesuitis, sed Benedictinis ceterisque ordinibus sustentandus erat: In Argovia anno 1841° regimen radicale Augustino Keller duce omnia monasteria abolevit, quia ad seditionem susceptandam populum catholicum convocasset (re vera monachi Argovienses catholicos imo corde rogaverant, ut iram coercerent! Ira capti erant, quod regimen duces catholicos sine causa captaverat). Mense Ianuario gelu mordacissimo regnante monachi monachaeque monasteria partim vetustissima reliquerunt nescientes, quo se verterent. Regimen autem monasteriis expropriatis dives factum est.

Pagi vero catholici hoc crimen nullo modo toleraverunt: In concilio, quod '*Tagsatzung*' vocabatur, semper semperque monasteria esse restauranda censebant. Denique anno 1843° Argovia concessit, ut monasteria muliebria restituerentur, sed virilia in aeternum manerent clausa. Pagi neutrales huic consenserunt, catholici autem non, quia hoc facto iniuria magna partim legalizata erat.

Sed quia eos audire '*Tagsatzung*' recusavit, inter semetipsos foedus inierunt speciale. Cuius particeps erant Lucerna, pagus Vallensis, Friburgum, Suitia, Tugium, Urania, Silvaniae pars utraque (i.e. Silvania Superior et Inferior). Foedere hoc speciali imprimis iura ecclesiae defendere et statum Helvetiae totius non mutare decreverunt.

Lucernam autem Iosephus Leu, pater patriae, agricola, ad iuvenes educandos Iesuitas arcessivit. Tunc tota in Helvetia liberali ululatus auditus est ingentissimus. Godefridum immo Keller, poetam Helvetium praeclarum, non taedebat carmen componere foedissimum, quo Iesuitas non modo ludibrio habuit summo, sed tantopere calumniavit, ut, quicumque eum ordinem ignorabant, legatos diaboli ipsius eos ducendos esse existimarent. Quanta hysteria Iesuitica, ut ita dicam, in patria nostra exorta sit, hodie imaginari vix possis. Sed quo vehementius liberales in Iesuitas invehebantur, eo pertinacius catholici eos defendebant eorumque arti docendi favebant. Iesuitae ipsi vero cunctabantur, utrum

Lucernam irent an non, quippe qui Helvetiam hanc ob rem discissum iri praesentirent. Denique autem a papa missi oboediverunt.

Liberales, imprimis professores academici universitatumque litterarum studiosi radicales, arma sumenda atque populum Lucernensem liberandum esse censentes mense Decembri anno 1844° atque mense Martio anno 1845° armati Lucernam invaserunt, sed, quamvis a regiminibus pagorum liberalium clam adiuventur, inceptum malignum et iniustum perficere non potuerunt: utraque vice superati et domum remissi sunt. Pagi autem septem supra dicti catholici foedus speciale eo firmius inierunt recte timentes, ne non diutius securi essent a pagis reliquis. Mense autem Quintili anno 1845° Iosephus Leu, dux et pater Lucernensium a suis valde amatus, noctu dormiens turpissime interfectus est.

Attamen pagi liberales semper semperque vehementissime postulabant, ut foedus speciale (Theodisce: *Sonderbund*) dissolveretur, quod non conveniret foedere generali Helvetico confoederato. Quotannis in '*Tagsatzung*' de hac re disputatum est, sed anno 1847° denique liberales ita praevaluerunt, ut legatorum maiortate decreverunt foedus speciale esse dissolvendum, si non bona voluntate, tunc vi armorum.

Sic factum est, ut mense Novembri anno 1847° per tres fere septimanas inter pagos liberales et pagos catholicos septem bello civili bellatum est. Catholici cito superati sunt, eorumque pagi occupati. Etsi milites liberales non tam atrociter saeviverunt quam milites septentrionales Bello inter Civitates Gesto Americano, tamen nonnulla facinora crudelia in victos commissa sunt.

Victores nunc consilia iam diu capta nullo impediendo confecerunt. Nova constitutio totae Helvetiae creata est. Pagi ut civitates propriae esse non desierunt, ita quasdam libertates regimini centrali Helvetico tradere debuerunt. Iesuitae ex Helvetia propulsi, pagis septem foederis specialis regimina liberalia imposita, catholici 'secundae classis' cives facti. Per multa decennia liberales Helvetiam suo iuro regebant, i.e. ecclesiam supprimentes, faenerantes, potestatem inter se dividentes, novis technicis naturam polluentes, lucrum sibi e pauperibus parantes. Qui hodie constitutionem anni 1848<sup>1</sup> magnis verbis laudant, istarum rerum nunc dictarum ne obliviscantur!

Martin Meier

# De Catto nigro

(Fabella Edgarii Allani Poe in Latinum conversa)

## Pars tertia et ultima

Commisso hoc homicidio formidabili consulte atque considerate aggressus sum munus corporis occultandi. Scivi neque die neque nocte fieri posse, ut corpus domo amoverem nisi periclitarer observari a vicinis. Multa consilia in mentem mihi venerunt. Semel cogitavi dissecandum esse corpus in partes minutas et igne destruendum. Alias decrevi corpus in hypogei pavimento sepelire. Tum deliberavi utrum idem deicerem in puteum in aula situm - an - solitis rebus dispositis - quasi mercem cistae imponerem et baiulum advocarem, qui corpus domo auferret. Denique remansi in eo consilio, quod melius mihi visum est his omnibus. Decrevi corpus parieti hypogei includere - sicut dicuntur monachi mediaevales parietibus inclusisse homines miserrimos.

Ad tale propositum hypogeum erat bene aptum. Parietes eius laxi nuper obtecti erant aspero tectorio, quod propter umorem aeris nondum obduerant. Praeterea in quodam pariete erat proiectura, falso camino vel loco igniario exorta et ita completa, ut ceteris parietibus assimilaretur. Non dubitavi quin lateribus hoc loco amotis possem corpus parieti inserere et totum parietem claudere non aliter ac antea, ut nullo oculo aliquid suspiciosi posset inveniri.

In hac quoque re computanda non deceptus sum. Dolabra facile dissolvi lateres, corpus ad parietem interiorem diligenter applicavi et affixi. Parvo labore restitui totam structuram talem qualis origine fuerat. Harena et capillis comparatis omni cautione praeparavi harenatum, quod distingui non posset a vetere idemque oblevi parieti novo. Labore finito contentus animadverti omnia convenire. Summa cum diligentia sustuli rudera in pavimento sita. Gaudio perfusus circumspiciens mihi ipsi dixi: "*Hic saltem - non frustra laboravi.*"

Proximum erat quaerere bestiam, qua effecta erat tanta sollicitudo; nam iam pridem firme decreveram eandem ad mortem dare. Si fieri potuit, ut in eam inciderem, dubium non fuit eiusdem fatum; sed sagax animal praevia mea violentia praemonitum videbatur me propter affectum animi mei defugisse. Neque describi neque animo fingi potest, quam grato

animo persenserim creaturam detestabilem abesse. Quae nocte non iam apparuit - et ita ex eo tempore, quo cattum in domum introduxeram, prima nocte arte et tranquille dormivi, dormivi, inquam, quamvis anima mea homicidio esset onerata!

Diebus secundo et tertio praeteritis tortor mei non iam venit.

Iterum respiravi homo liber. Monstrum terribile domum fugerat in aeternum! Non iam visum iri! Gaudium meum supremum fuit! Culpa facinoris mei vix perturbatus sum. Nonnullae perquisitiones erant factae, sed iisdem promptus responderam. Vel domus perquisita erat - sed scilicet nihil inventum esse. Sensi me felicem et securum fore.

Quarto die post homicidium factum inopinato grex vigilum venit ut iterum domum diligenter perquireret. Cum securus essem latebram meam investigari non posse, animus meus nullo modo erat commotus. Officiales me rogaverunt, ut se comitarer in perquisitione sua. Nullam rimam, nullum angulum reliquerunt inexploratum. Denique tertium aut quartum descenderunt in hypogeum. Ne ullo quidem musculo tremui. Cor meum palpitavit tamquam cor alicuius innocui dormitantis. Ii per hypogeum ab una parte ad aliam. Bracchiis super pectus complicatis tranquille ambulavi. Vigiles prorsus contenti erant parati ad abeundum. Superbia cordis mei maior fuit quam ut compescerem. Ardentissime triumphans cupivi dicere vel unum verbum, ut duplicem redderem fiduciam innocentiae meae.

"*Domini honorabiles*", denique dixi, dum grex per scalas ascendit, "*gaudeo suspiciones vestras sublatas esse. Exopto vobis omnibus bonam valetudinem et paulo plus urbanitatis. Ceterum, honorabiles, haec domus est valde bene constructa.*" (Rabido desiderio aliquid leviter dicendi correptus vix scivi, quid loquerer.) "*Dicam excellenter bene constructam domum. Hi muri - estisne ituri, Domini? - Hi muri sunt solidi compositi*" - et tum, solo furore gloriandi, pulsavi vehementer baculo, quem manu tenui, hanc ipsam partem muri, pone quam situm erat corpus uxoris olim carissimae.

At Deus me defendat meque liberet ab unguibus Summi Temptatoris! Vix pulsatio reperiens silentio restincta erat, cum respondit mihi vox e sepulcro veniens! - clamor, primum submissus atque fractus, quasi vagitus infantis, deinde celeriter augebatur in longam magnam continuam vociferationem enormem et inhumanam - ululatum - gemitum plorabilem, tam horrificum quam exultandum - qualis non editur nisi e gehenna, e

gutturibus damnatorum metu mortis correptorum et daemonum damnatione exsultantium.

Vanum est dicere de cogitationibus mei propriis. Animo paene relictus titubavi ad murum oppositum. Per punctum temporis homines in scalis stantes remanserunt immoti summo terrore timorque correpti. Postea duodecim brachiis muro allaboratum est. Qui irutus est. Corpus iam valde dilapsum et cruore offusum stetit rectum coram spectantibus.

In capite eius, rubro rictu extenso et igneo oculo solitario, consedit bestia formidulosa. Istius vi seductus eram ad homicidium, istius voce destinatus eram ad carnificem. Monstrum istud in sepulcro incluseram!

- Finis -

Sic finitur 'Cattus niger' fabella Edgarii Allani Poe formidulosa. Aliae fabellae huius generis inveniuntur in libro sequenti:

**EDGARI ALLANI POE FABELLAE FORMIDULOSAE** a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversae. Ecce argumenta huius libelli:

1. Introductio: De auctoris vita operibusque.
2. Fabellae: De spiritu perversitatis (*The spirit of perversness*). - De catto nigro (*The black cat*). - Cor loquax (*The tell-tale-heart*). - Iste fecit! (*Thou art the man!*). - De gurgite molari (*The Maelstroem*). - De puteo et pendulo (*The pit and the pendulum*). - De larva Mortis Rubrae (*The masque of the Red Death*). - Dolium vini Amontillati (*The cask of Amontillado*). - De Ranunculo (*Hop-Frog*). - De sepultura praematura (*The premature burial*).
3. Adnotationes translatoris. Epilogus. Index nominum.

Qui liber, **si quidem sat multi lecturientes nomina dederint emendo**, edetur in Aedibus 'MELISSAE', Bruxellis Belgarum. Quarum aedium inscriptio cursualis est haec: **MELISSA, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles/BELGIUM. Tel. (02) 7350408. Telecopiatrum (i.e. Telefax) (02) 7355132.** Si librum supra memoratum tibi comparare vis, lector benevole, facias, quaeso, certiores cooperatores MELISSAE. Ceterum in MELISSAE fasciculo 75, p. 12, est index fabularum fabellarumque Latine redditarum (e.g. Gerharti Hauptmann et Theodori Storm et Patricii Süskind), quae imprimuntur, si quidem sat multi nomina dederint emendo.

Nicolaus Gross  
Germanus Coreanensis

## SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino XV fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Laura Mercolli  
Kastanienweg 63  
3095 Spiegel

secundum praemium:

Estelle Gitta  
François-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex

tertium praemium:

Martin Stadelmann  
Adlerweg 12  
3098 Köniz

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1	2	3	4	5	6	7	8
B	I	C	I	P	I	T	I
9	U	N	O	C	U	L	O
11	R	O	M	12	T	13	L
14	D	R	E	15	P	16	A
17	I	N	S	E	V	I	18
G	A	19	L	I	20	A	R
21	A	T	22	I	S	I	24
25	L	26	U	N	A	T	27
28	A	M	A	S	I	29	O
							S
							E

## In taberna discothecaria

Saltantem video levem puellam  
suggestu in cubico comas solutam.  
Infernus strepitus sono molesto  
lymphatae legulas ferit iuventae.  
Acres plus nimio bibunt liquores,  
pastillis renovant alacritatem,  
albo pulvere naribus repletis.  
Monstrant barbarico pudenda more,  
iactant simiolis pares in altum  
ad dictos numeros manus et ulnas.  
In rixas subito ruunt cruentas,  
causis futtilibus furore capti.  
Egressi remeant domum vehiclo  
veloci, interitum nihil timentes.  
Vix servans animi serenitatem,  
in tanta placidus vagans caterva,  
lento Terpsichores gradu sequacem  
sudantem subeo calore magno.  
Exspecto patiens remissionem  
fragoris reboantis et tumultus.  
"Vis mecum - rogito - statim venire?  
Non te, crede, fugae pigebit umquam."  
Maiestate sua velut profano  
affatu violata, me misellum  
contemptim iubet in malas abire  
oras, ne labiis quidem reclusis.  
Exacto spatio fere bimestri,  
evolvens folium meum diurnum,  
adgnosco virides puellae ocellos:  
Defunctae superest iners imago.

(Metrum Phalaecium)

Orestes Carbonero

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

\_\_\_\_\_ <-----  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)
- Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Rosenweg 7  
8353 Elgg


PP/Journal

4702 Oensingen


4/98

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMXCVIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 21

FASC. 125